

8  
*vers 39. nubat in Domino. Ut nempe status designetur, in quo essent ii, qui morerentur nempe adherentes Domino. Rom. XVI. 12, 1. Thes. IV. 16. Confirmat hanc Prucknerus in Vind. Grotianum sensum, quoad solos martyres intelligendos, fovere videntur ex antiquis Ansbertus, Ambrosius & Haymo, è quibus hic: Beati quicumq; semel apud se stauerint vitam propter Christum amittere, ii ab hoc ipso tempore, & antequam moriantur, requiescunt in conscientiis suis coram Deo. Nec dissentit ex Nostris Flacius in Glos. ad h.l. ita scribens: Posset has sententia etiam latius accipi de omnibus, in fide & invocatione Dei morientibus; sed illa de martyrio sententia magis huic loco convenit, cum agatur hic de certaminibus, crucibus, periculis, veritatis Christi causa toleratis. Quod cupidè amplectuntur Bellarminus Lib. I. de Purg. cap. XII. Ribem, Alcasar, & plures alii, ne nempe purgatorio obsit locus, cum martyrium omnes absorbere pœnas temporales ineptè sint persuasi. Sed ut martyres, qui & ipsi in fide Christi moriuntur, hic non excludimus, ita usitatiore r̄g: in Domino significationi jure meritoq; adhæremus. Nā fideles passim in Christo esse, manere, vivere, ambulare dicuntur. Rom. IX. 1. Joh. XV. 4. 7. 2. Tim. III. 12. coll. II. 6. ob unionem cum Christo per fidem, veramque charitatem. Rectè Joh. Marckius ad h.l. Ego nullam video necessitatem ad significationem illam ad martyrium restrictam & fatente Medo ipso rariorem heic recurrendi, ubi generaliore sensu effatum verissimum est & necessarium ad communem fidelium consolationem, ubi præterea nulla vox est, mortem violentam significans. Et paulo post: Moriuntur consequenter in Domino, qui fide & charitate ei ad mortem usque adherent, tanquam Domino suo unico, quod vers. præced. postulaverat Johannes, quem in contrariū sumi vult Piscator. Nec Aretas & Andreas mortem in Domino, de mortificatione spirituali, quæ fit mundo & morte temporali in hac vita, intelligentes, ullos invenient assertores, siquidem in mortis temporalis genere, de quo litera textus nostri, manendum. Concidit & Bellarmini, Lib. I. de purg. cap. XII. falsum purgatorio sustentando præsuppositum: Johannem loqui de viris perfectis, qui simpliciter in Domino moriuntur, & nihil purgandum secum ferunt, eos autem, qui discedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicujus, non simpliciter mori in Domino; sed partim in Domino, partim non*